Loquentes in casu speciali, nempe, ut fœmina Christiana nutriat filium Judæi in ejus domo, dicunt multi solum Pontificem dispensare posse. Et raddunt rationem, quia ea prohibitio à jure Pontificio descendit, nec committitur alicubi Episcopo dispensatio in eo canone. Hi sunt *Abbas c. Ad hæc in fine, de Judæis, & ibi Cardin. in fine, Ananias num. 6. Rosella verbo Judæus 1. numero sexto, Angel. verb. Judæus, numero quinto, & ibi Sylvest. quæst. 2. d. 4. Armilla numero octavo, Tabiena quæstione quinta, numero quinto*. Quod est verissimum. Nec placet quod addit *Ananias eo num. sexto*, nempe posse Episcopum dispensare, ut extra domum. Quia id non est propriè dispensare in jure Pontificio. Cum sunt opiniones, ut *numero decimonono* diximus, an id prohibeatur. At non placet. Quia si adhæreamus opinioni dicenti jure Pontificio interdici, dicendum est consequenter ob rationem dictam non posse Episcopum dispensare. Si verò amplectamur contrarium, nulla dispensatione opus est. Similiter dicendum est solum Pontificem posse dispensare in communicatione in aliis casibus. Cùm ii quoque jure Pontificio statuti sint, nec dispensatio reperiatur Episcopo permissa. Et ita docet *Tabiena verbo infidelitas, quæstione 7. num. 8.*

CAPUT XXXII.

De peccato blasphemiæ in Deum, & Sanctos.

SUMMARIUM.

Explicatur definitio blasphemiæ, n. 1.
An necessario petat voluntatem derogandi divinæ voluntati? numero 2.
Explicatur, in quo actu consistat blasphemia, & qualiter differat ab hæresi, & infidelitate? n. 3.
An blasphemia non solo ore, sed mente committi possit? n. 4.
An factis committi possit? n. 5.
An blasphemia semper sit falsitas, & committatur, sive indicativè sive optativè, sive imperativè prolata sit? numer. 6. Et ibi an hæc verba sint blasphema, odio habeo Deum, despero?
An blasphemia opponatur confessioni fidei, vel cui virtuti? n. 7.
Quo decalogi præcepto blasphemia interdicatur? n. 8.
Jurare per falsos Deos *quando sit blasphemia? n. 9.*
Jurare per creaturas *quando sit blasphemia? n. 10.*
Non credo in Deum, nego, vel renego Deum, fidem, chrisma, Crucem, Beatam Virginem, *an sint blasphemia? num. 11.*
Quid de hoc verbo, mal grado aya Dios? *n. 12.*
Quid de quibuscumque maledictis in Deum, vel in Sanctos? numero 13.
Quid de maledictis in creaturas, ut sunt Dei creaturæ? numero 14.
Quid de his verbis, à despecho de Dios? *n. 15.*
Quid de his, no à poder de Dios? *n. 16.*
Quid de his pesete Dios, displiceat Deo? *n. 17. Et ibi quid de*, pleguete Dios?
Quid de his velit nolit Deus, *n. 18.*
Quid de his, devodo à Dios? *n. 19.*
Quid de his, Deus est injustus, crudelis, malè providus, non curat nostra, *& de similibus verbis? n. 20.*
An sit blasphemum nominare quodcumque Dei attributum, irridendo, vel convitiando? n. 21.
Vituperia in legem Dei, cultum divinum, sacramenta, & quæcumque in Deum referuntur, an sint blasphema? n. 22.
Quid si non nominetur Deus, ut pesete tal? *n. 23.*
Quid si sub conditione, ut negarem Deum, nisi ita esset? *numer. 24.*
Jurare per vitam Dei, *an sit blasphemia? n. 25.*
Quid si juretur per vitam Sanctorum? *n. 26.*
An contumeliosa verba sint blasphema, contra Sanctos dicta? numer. 27.
An jurare per membra Christi, *aut* sanctorum pudenda, *cave exprimere, etiam optativè, an sit blasphemum? n. 28.*
Quid, si juretur per membra honesta? *n. 29.*
Quid de his verbis, cuerpo de Dios con vos? *n. 30. Et ibi, quid de his*, ò fides Dei cum tali homine?
Quid quando veritas humana divina comparatur, ut sicut Deus est veritas: Hoc est Evangelium? *n. 31.*
Quid si juretur per intemeratam Deiparæ Virginitatem? *numero 32.*
An quodcumque perjurium contineat blasphemiam? n. 33.
Tribuere creaturis quod est proprium Dei, an sit blasphemia? numero 34.
Quid de his verbis, quando aliquid evenit, sic erat futurum? *num. 35.*
Quæ sint blasphemiæ hæreticales, & quæ non tales? n. 36.
Quis judex de blasphemiis cognoscat? n. 37.
An omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei? n. 38.
An sint indistinctè explicanda in confessione? n. 39.
An blasphemia ex materia parvitate possit esse venialis? n. 40.
Quid, si joco dicatur? n. 41.
Quid si in sanctos, ut homines sunt? n. 42.
Quid si ex indeliberatione, aut adest consuetudo blasphemandi? num. 43.
An blasphemus possit absolvi absque gravi pœnitentia? n. 44. Et ibi an sit reservata blasphemia?
An habens blasphemandi consuetudinem, sit absolvendus? n. 45.
An blasphemus sit corrigendus, etsi emenda desperetur? n. 46.
An sit denuntiandus non præmissa correctione? n. 47.

1 CUM peccatum blasphemiæ confessioni fidei opponatur, & quodammodo ad infidelitatem pertineat, (ut *n. 7.* dicemus) jure optimo post tractatum de fide, confessione fidei, ac hæresi fidei opposita, disputandum est de blasphemia, quæ confessioni fidei contraria est. Prima conclusio sit. Blasphemia est peccatum, quo aliquid de divinæ bonitatis excellentia detrahitur, dicendo falso aliquid Deo inesse, quod non inest: vel negando inesse, quod inest. Idque voluntate quadam derogandi hac ratione divinæ majestati, seu bonitati. Sic ex *D. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1.* colligit optimè *Valentia 2. 2. disput. 1. q. 13. puncto 1. in initio*. Et quamvis aliqui addant, vel quando aliquid dicitur contra sanctos, non opus est addere. Quia rationem blasphemiæ habet, eò quòd in Deum redundat. (Ut *n. 17.* dicemus.) Nec similiter est opus addere, vel quando aliquid proprium Dei tribuitur creaturis. Quia, ut *n. 34.* dicemus, tunc negatur aliquid Deo, quod ipsi competit: at in eo ratio blasphemiæ consistit. Quare sub prædicta definitione comprehenditur. Vel breviùs potest definiri, ac in idem omnino recidit, ut definit *Bannez 2. 2. quæst. 13. artic. 1. notabili 1.* est locutio falsa contra Deum per modum convitii. Dicitur in utraque definitione *locutio falsa*, quia in eo propriè consistit blasphemia, & distinguitur ab infidelitate. Ut *n. 3.* explicabimus. Qualiter autem semper falsitas in blasphemia inveniatur, dicemus in *n. 6.* Dicitur autem *per modum convitii, seu voluntate derogandi divinæ bonitati*. Ut distinguatur ab infidelitate, de cujus ratione non est velle derogare honori divino. Quia potiùs hæreticus credit se honorem Deo exhibere. Et ampliùs explicabitur *num. seq.*

2 Sed circa hanc definitionem insurgit difficultas, qualiter perversa derogandi divinæ majestati, seu bonitati voluntas sit ad veram blasphemiæ rationem necessaria. Ex una enim parte id necessarium esse videtur. Siquidem in blasphemiæ definitione ponitur. Atque ideò *Aragon. 2. 2. quæst. 13. art. primo corollario 1.* ait infideles dicentes falsa de Deo non esse propriè blasphemos. Quòd ea non dicant ex pravo erga Deum affectu, sed quia judicant esse vera. Præterea, quia *D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 3. ad 1.* ait blasphemum intendere nocumentum inferre honori divino. Atque *art. 4. corpore* ait, ad rationem blasphemiæ pertinere detestationem divinæ bonitatis. Et *Bannez eo art. 3. in solutione ad 3.* explicans *D. Thom.* mentem, ait non eum accipere detestationem pro formali divinæ bonitatis odio: quod directè opponitur charitati: sed satis esse ait talem detestationem esse alicujus excellentiæ divinæ, ut divini honoris, justitiæ, &c. quamvis perfectior blasphemia sit, quando est odium Dei. Ad persuadendum autem eam voluntatem non esse necessariam, urget primò. Quia si ea desideraretur, rarò pronuntiatis blasphemiæ verbis darentur blasphemiæ. Cum communiter animus proferentis non sit velle divinæ bonitati derogare, sed ea verba ex passione bilis, ac ira procedant. Secundò quia *Cajet. 2. 2. qu. 13. art. 1. versic. Quo ad tertium*, id colligens ex *D. Thom. ibi, & Castro l. 1. de just. hæret. punit. cap. 12.* ajunt, etsi omnis blasphemia, in quantum est voluntaria, sit à mala voluntate: non tamen omnem esse cum voluntate affecta ad non derogandum divinæ bonitati. Sicut omne credere est voluntarium, non tamen omne est à voluntate affecta charitate Dei. Unde ajunt habere se hanc voluntatis malitiam ad blasphemiam intellectus, sicut charitas se habet ad fidem. Atque ita sicut fides potest esse sine charitate, ita & blasphemia sine hac affectus malitia. Et idem repetit *Cajetanus eadem qu. 13. artic. 3. paulo post principium*. Sed optimè *Valentia* hanc difficultatem enodat *2. 2. disp. 1. quæst. 13. puncto 1. notabili 2.* ubi sentit, de ratione blasphemiæ esse imminutionem, & derogationem divinæ gloriæ. Sed ait id posse contingere dupliciter. Priori modo, volendo id directa intentione. Quo pacto damnati blasphemant. Posteriori modo, indirectè, quando, nimirum, iis circumstantiis, & eo modo quis blasphemiam usurpat; ut quamvis ipse directè nolit detrahere divinæ majestati, meritò tamen, ac verè judicetur ea usurpatio habere divinæ gloriæ contemptum, & diminutionem. Atque optimè subdit ad hoc dijudicandum, nullam posse universaliorem regulam assignari, quàm eam, quæ colligitur ex modo, & circumstantiis dicendi. Si enim seriò blasphemia dicatur, & ex quadam indignitate, quæ prudenter judicetur quodammodo pertinere ad Deum: erit vera blasphemia. Si autem joco, vel alio fine, ut ad docendum, constat non esse blasphemiam. Quamvis possit aliunde id esse peccatum levitatis, vanitatis, aut scandali. Quod intellige, nisi ex jocoso dicendi modo talia verba redundaret diminutio divinæ bonitatis. Juxta dicenda *nu. 41.* Quia tunc ea dicens censetur indirectè velle divini honoris diminutionem. Quare dum *Cajetan. & Castro* ajunt detestationem voluntatis habere se ad blasphemiam, instar charitatis ad fidem, loquuntur de detestatione, quæ est formale Dei odium, ac directè charitati opponitur, ut undequaque æquiparatio conveniat. Quare optimè ajunt *Bannez 2. 2. q. 13. art. 1. notabili 4.*

& Petrus

& Petrus de Ledesma 2. tom. summæ tract. 1. cap. 9. conclus. quarta blasphemiam retinentem veram blasphemiæ speciem esse duplicem. Quædam est informis, & non undequaque perfecta, scilicet, quæ non procedit ex odio Dei, sed ex iracundia, vel alia passione. At vera, & perfecta est intrà propriam blasphemiæ speciem: ac sola perfectione extrinseca destituitur. Altera autem perfecta, & formata, nempe, quæ ex Dei odio procedit. Prior dicitur à *D. Thom. eo art. 1.* blasphemia secundùm intellectum: non quia voluntas non adsit: sed quia deest hæc detestatio Dei. Posterior autem appellatur blasphemia secundùm affectum. Sicut fides absque charitate est vera, & perfecta fides intra propriam speciem: at quia destituitur perfectione, & forma charitatis, dicitur imperfecta, & informis.

3 Quamobrem blasphemia propriè, & essentialiter consistit in dicendo aliquid contra Deum, quod ejus honori deroget. Sicut enim in fide reperiuntur duo. Prius est interior rerum fidei assensus, & hic pertinet ad ipsam fidem. Posterius est, ipsos fidei articulos dicere corde, vel ore: & hoc ad fidei confessionem spectat. Sic in infidelitate reperitur dissensus rerum fidei, & hic pertinet ad infidelitatem, & est vera hæresis. Reperitur etiam dicere aliquid intus, vel extra contra fidem. Et in hoc consistit essentialiter blasphemia. Atque ita blasphemia non consistit in sentiendo aliquid contra Deum sed in dicendo. Atque ita docent *Cajetan. 2. 2. q. 13. artic. 1. versicul. Ad evidentiam horum, Castro libro 1. de justa haret. punit. c. 12.* Unde optimè explicat *Valentia 2. 2. disput. 1. quæst. 13. puncto 2.* blasphemia non est propriè, & essentialiter infidelitas. Quia infidelitas consistit propriè in assensu aliquo interno falso de Deo, & in externa asseveratione falsi, ex tali interno assensu orta. Blasphemia autem neutrum requirit, sed consistit in dictione, sive significatione falsa de Deo. Qualiter autem ad infidelitatem pertineat, ac confessioni fidei opponatur, dicemus *n. 7.* Quamvis autem blasphemia non sit propriè infidelitas, nec vera ejus species: potest tamen inveniri conjuncta cum infidelitate, atque ab ea separata. Quod omnes fatentur, & inter alios benè sic explicat *Castro d. c. 12.* Si quis dicat aliquid divino honori derogans, credens ita esse, erit simul hæreticus, quatenus credit, & blasphemus, quatenus dicit. Si credit, & non dicit, erit tantùm hæreticus. Si verò dicit, & non credit, erit solùm blasphemus.

4 Non exigit autem blasphemia externam loquelam contra Deum: sed sola interna sufficit. Ut dum quis concipit per simplicem quamdam intellectus apprehensionem Deum esse, quod non est, aut non esse, quod est. Atque hæc dicitur blasphemia cordis: dum verò in loquelam prorumpit, dicitur oris blasphemia. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 13. artic. 1.* & omnes.

5 Imò & in solis factis, & signis posse esse blasphemiam asserunt quidam. Quia non minùs factis, & signis, quàm verbis ostenditur prava voluntas. Ita docent allegato *Beda, Castro lib. 1. de justa hæreticor. punitione c. 12. Cordubæ in quæstionario, lib. 1. qu. 17. §. 16. notabili 1.* Ut si quis imagines conculcet, aut exspuat. At verius est, blasphemiam propriè non consistere in factis, sed in solis verbis, mente, ore, aut scripto prolatis. Quod egregiè alios referens probat *Suarez tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 1. cap. 4. n. 4. & 5.* Quia blasphemia opponitur laudi divinæ, quæ solis verbis exhibetur, & si honor, quibuscumque verbis, & factis: teste *D. Thoma 2. 2. quæst. 103. artic. 1. ad 3.* Præterea, quia communiter appellatur vitium linguæ. Tandem quia aliàs idololatria, & similia vitia possent dici veræ blasphemiæ, cum facto ipso negent verum Deo cultum, illumque creaturæ tribuant.

6 Restat explicare qualiter blasphemiæ semper aliquid falsi contineant. Quippe *Suarez eodem c. 4. num. 9. & Azor. tomo 1. institutionum moralium, lib. 9. c. 28. qu. 1. & 2.* id negant, dicuntque satis esse blasphemiæ rationem, verba contumeliæ in Deum, aut sanctos prolata, etsi non falsa. Ducuntur, quòd in solo indicativo modo reperiantur veritas, & falsitas. At blasphemia explicatur quandoque per imperativum, aut optativum. Ut *pœniteat Deum: utinam Deus esset injustus*. Item quia inhonestam membrorum pudendorum Christi nominationem dicemus *n. 28.* esse blasphemiam. Cum tamen nulla sit falsitas. At verius est semper subesse falsum in blasphemia. Quod sic explicatur. Dupliciter potest esse falsum. Priori modo in actu signato, quod contingit, quando aliquid falsum Deo tribuitur, ut *est injustus*, vel verum negatur, ut *non est omnipotens*. Quod contingit non solùm modo indicativo, sed etiam optativo, & imperativo, in quo modo non consistit falsitas in enuntiatione ejus, quod est, aut non consistit falsitas in enuntiatione ejus, quod est, aut non est, sed in affectu, ut sit, quod esse nequit. Posteriori modo in actu exercito, quod evenit, quando etsi verum significetur, at ex ipso irrisorio, & contumelioso significandi modo significatur id esse tamquam irrisorium, & contemptibile in Deo, vel sanctis, ut cum inhonestè pudenda Christi, aut sanctorum membra nominantur. Quamvis ergo ratio blasphemiæ non petat falsitatem enuntiativè, petit tamen illam ex modo loquendi blasphemantis, qui optat, aut imprecatur id malum Deo repugnans, saltem ex loquendi modo, aut falsò significat id esse in Christo tamquam quid contumeliosum. Esse autem de ratione blasphemiæ aliquam falsitatem probatur. Quod de blasphemiæ ratione sit contumelia in Deum prolata. At nil per modum veri significatum potest in Dei contumeliam cedere. Et ideò hoc sustinent *Cajetanus 2. 2. q. 13. art. 1. vers. Quo ad secundum, & vers. Ex his autem, ibi Bannez notabili 2. Arragon. coroll. 5. Simancas de cathol. inst. tit. 8. numer. 2. Valentia 2. 2. disput. 1. quæst. 13. puncto 1. Toledo lib. 4. summæ cap. 13. num. 6. Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 1. eod. 9. conclus. 1.* Nec obstat, quod objicit *Suarez*, in odio Dei inesse etiam falsitatem hanc practicam, seu in actu exercito. Nam dico non inesse ex modo loquendi, nec in enuntiatione. At si quis prorumperet verba in odii Dei, aut desperationis, esset verè blasphemus, ut si dicat, *Odio habeo Deum*, aut *despero*. Ut fatetur ipsemet *Suarez eodem libro 1. cap. sexto, numero nono*. Quia detrahit divinæ bonitati, & potentiæ, sicut cum dicit, *Non credo*, detrahit divinæ fidei.

7 Ex his deducitur primò, qualiter verum sit, quod tradit *D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. corpore, in fine, & artic. 3. in initio*, nempe blasphemiam opponi confessioni fidei. Non enim id accipiendum est, quasi blasphemia sit verè, & propriè infidelitas, aut ejus species. Cujus contrarium diximus *num. 3.* sed dupliciter potest intelligi. Primò, ut explicat *Cajetan. eo art. 3. paulo post principium* quia etsi de ratione blasphemiæ non sit sentire falsum de Deo: est tamen de ejus ratione dicere falsum de eo. Ad infidelitatis autem genus spectat, non solùm sentire falsum de Deo, sed etiam falsum de eo dicere. Non ita ut blasphemia sit infidelitatis species: sed quia est species illi cognata. Quippe blasphemus etsi non sentiat esse verum id, quod de Deo dicit, induit tamen personam sentientis sic esse. Dicit enim tamquam si crederet ita esse, aut ita esse impossibile. Secundo modo potest intelligi, ut confessio fidei accipiatur non pro ipsa fidei assertione, quo pacto infidelitas illi adversatur: sed ut est quædam laus divina, & honor Dei. Et sic blasphemia opponitur illi. Ita explicant *Bannez 2. 2. quæst. 13. art. 1. notabili 3. Petrus de Ledesma 2. tom. summæ, tractatu 1. capit. 9. conclusion. tertia*. Quare propriè, & formaliter loquendo, blasphemia opponitur virtuti religionis, cujus est Deum, & sanctos revereri. Ita *Bannez, & Petrus de Ledesma ibi, Valentia 2. 2. disput. prima, quæst. 13. puncto secundo*. Quia benè addit hoc esse verum loquendo propriè de blasphemia, ut versatur circa Deum, vel circa sanctos, ut habent quemdam respectum ad Deum. Nam si contumelia irrogetur sanctis, non ut habent respectum ad Deum, sed ut sunt homines excellentes, non opponitur propriè religioni, sed observantiæ, quæ est virtus religioni adnexa, congruam sanctis reverentiam deferens. Et hoc idem docet *Vasquez de adoratione imaginum, libro primo, disputat. sexta, capit. quarto*. Sed vide, quæ *nu. 27.* dicemus.

8 Secundò deducitur, blasphemiam prohiberi primo decalogi præcepto. Cum enim opponatur confessioni fidei, ejus prohibitio reducitur ad infidelitatem, quæ primo præcepto interdicitur. Vel cum opponatur religioni debitum Deo honorem exhibenti, interdicitur primo præcepto, quod debitè Deum colendum præscribit. Potest etiam dici interdici secundo decalogi præcepto. Quòd magis in vanum nomen Dei assumat, qui aliquid falsum de Deo asserit, quàm qui confirmat falsum per Dei nomen. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 2. ad 2.*

Tertiò deducitur, quæ sint blasphemiæ verba. In primo gradu tamquam omnium nefandissima est, qua juratur verè, vel falsò, per falsos gentilium Deos, ut *per Jovem, per Mercurium*. Quippe est idololatriæ genus, honorem vero Deo debitum tribuere falsis Diis. Profitetur enim per illos jurans, eos esse summam veritatem, ac infallibilem. Ita *Sotus l. 8. de justitia, qu. 2. artic. 3. conclus. 1. Alcozer summa capit. 15. versic. Dezir alguna palabra*. Qui benè hoc limitat, nisi causa joci, & irridendi falsos Deos, & non jurandi per illos, id juramentum præstaretur. Tunc enim nulla esset culpa. Atque esse blasphemiam tradit etiam *Suar. tom. 1. de relig. lib. 1. c. 6. num. 13.*

Imò est blasphemum jurare per quamcumque creaturam, sistendo in ea, & non ut in ea Deus relucet. Quia jurare est Deum in testem adducere, tamquam summam veritatem, quæ nec fallere, nec falli potest. Cum ergo juratur per creaturam, in ea sistendo, hic honor Dei proprius illi tribuitur: ac proinde erit blasphemia: juxta dicenda *nu. 34.* Ita *D. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 6. Sot. l. 8. de just. qu. 1. artic. 6. concl.* & omnes.

11 Sunt etiam blasphemiæ verba, *non credo in Deum, descreo de Dios, nego*, vel *renego Deum*. Et ita numerantur inter blasphemias *l. 5. Regia tit. 4. lib. 8. novæ recop.* Atque fatentur omnes Doctores allegandi. Et similiter *renego Crucem*, vel *Chrisma*, vel *intemeratam Deiparæ virginitatem*. Quia hæc omnia implicant fidei debitæ Deo abnegationem. Atque ita *num. 36.* referemus Doctores dicentes esse blasphemias hæreticales.

12 Blasphemum quoque est hoc verbum, *mal grado aya Dios*, latinè *malum Deo contingat*. Cum Deo attribuatur id, quod est omninò alienum ab ipso, ut pote cui nullum malum contingere valet. Et ita numeratur inter blasphemias *dict. l. 5. regia*. Et ita docent *Azeved. ibi n. 4. Covarr. de pact. 1. par. §. 7. num. 9. vers. 3. Rojas de hæret. 2. p. assertione 12. nu. 171. Salzedo in pract. Bernard. Diaz c. 110. vers. Et quia sæpissimè, Azor. tom. 1. l. 11. instit. moral. c. 3. q. 2. Manuel 1. tom. summæ, in 2. edit. c. 34. n. 1.*

13 Atque

13 Atque quæcumque maledicta in Deum, vel ſanctos, blaſphemiæ ſunt. Quia nec maledictio, nec convitium poſſunt aliqua ex parte ei convenire, & ea in ſanctos dicta redundant in Deum. (Ut *n.* 27. dicemus.) Atque ita docet reprobatis aliquibus, quos tacito nomine refert, dicentibus non eſſe propriè blaſphemias, *Covarr. eo* §. 7. *n.* 8. *Simancas de catholic. inſtit. tit.* 8. *n.* 1. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 1. *qu.* 13. *punct.* 1. *in fine*, *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *inſtitutionum moral. c.* 28. *qu.* 4. *Suar.* optimè explicans, & loquens de ſolis in Deum maledictis, *eo lib.* 1. *c.* 4. *num.* 7.

14 Imò quæcumque maledictio in creaturas rationis expertes dicta, in quantum creaturæ Dei ſunt, eſt blaſphemia. Quia maledicere illis ſub ea ratione eſt maledicere Creatori. Ita *D. Thom.* ab omnibus receptus 2. 2. *q.* 76. *art.* 2. Et ſimiliter erit dicendum, ſi creaturæ rationis participi ſub eadem ratione maledicatur. Quia eadem eſt ratio. Ut benè docet *Toledo lib.* 4. *ſumma c.* 13. *n.* 11.

15 De his autem verbis, *à deſpecho de Dios*, eſt difficultas. Quidam ſentiunt ea non eſſe blaſphema. Quippe eum ſenſum habere videntur, ut ſicut multa mala fiunt, quæ divinæ majeſtati diſplicent: ita & hoc malum fiet, quamvis Deo diſpliceat. Quibus verbis non derogatur immenſæ Dei poteſtati. Ita *Bald. Felin. Alex. Angel.* quos refert *Covarr. de pactis p.* 1. §. 7. *n.* 9. *verſ.* 1. At dicendum omninò eſt ea verba eſſe blaſphema. Quia manifeſtè tendunt in poteſtatis divinæ derogationem: quaſi ea proferens velit id agendum eſſe, etiamſi Deus omnipotens noluerit. Et quamvis hic ſenſus abeſſet, non poteſt aliter his verbis aptari interpretatio, quin in contemptum Dei, ejusque poteſtatis pronuntiata cenſeantur. Atque ita docent *Covarr. eo verſ.* 1. dicens oppoſitam ſententiam eſſe omninò falſam, *Imola*, *Socin. Gramm. Boſſ.* quos refert, & ſequitur *Menoch. de arbitr. l.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 375. *n.* 4. *Rojas de hæret.* 2. *p. aſſertione* 12. *n.* 171. *Salzedo*, & *Azor.* allegati *n.* 12. *Decian. de delictis. to.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 4. *Jul. Clar. lib.* 5. *receptarum in pract. crimin.* §. *Blaſphemia*, *n.* 2. *Toledo lib.* 4. *ſumm. c.* 13. *n.* 6. Et ita *lex* 5. *regia tit.* 4 *lib.* 8. *recopil.* verbum hoc inter blaſphemias computat. Et docent *ibi Azevedo n.* 3. & *Suar. eod. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

15 Similiter eſt blaſphemum dicere, *no ha poder en Dios.* Quippe poteſtati Dei adverſatur. Ita inter verba blaſphema refertur *d. l. regia* 5. Et docent *ibi Azevedo num.* 4. *Covarr. d.* §. 7. *num.* 9. *verſ.* 4. *Menoch. d. caſ.* 375. *num.* 4. *Decian. d. c.* 2. *n.* 6. *Azor. tom.* 1. *l.* 11. *inſt. moral. c.* 3. *qu.* 2. Hoc temperant *Decian.* & *Menoch.* niſi ea verba proferantur ſuper rebus non factibilibus, quæ nulli potentiæ ſubjacent. Ut ſi quis dicat in Deo non eſſe potentiam, ut faciat præteritum non fuiſſe, vel duas propoſitiones contradictorias eſſe veras. Tunc enim nil falſum, ſed veriſſimum dicitur. *Azevedo* autem *lib.* 8. *recop. tit.* 4. *lib.* 6. *num.* 40. & 41. allegato *Socin.* dicit adhuc in hoc caſu eſſe blaſphemiam. Quia ea verba in contumeliam divinæ potentiæ dicuntur, ejusque diminutionem. Atque ita eſt falſitas in modo dicendi. Quod ad veram blaſphemiam ſufficere diximus *n.* 6. Quamvis enim hæc Deus non poſſit, non cedit in aliquam ejus potentiæ diminutionem; nec ejus defectu provenit, ſed quia in ſe factibilia non ſunt. Et quidem hoc eſt veriſſimum. Nec Doctorum limitatio intelligitur in hoc caſu. Sed quando id dicitur non per modum contumeliæ poteſtatis divinæ; ut paſſim Theologi, ac Philoſophi id dicunt.

17 Similiter blaſphemia eſt, *peſete Dios*, Latinè *Deum tædeat*, *Deo diſpliceat*. Quia etſi illa propoſitio non ſit indicativi modi, ut poſſit formaliter falſum ſignificare, at ex intentione proferentis eſt tribuere Deo, quod ei convenire nequit, & ita falſum ſignificat. Ut *n.* 6. expoſuimus. Et ita inter verba blaſphema refertur hoc, *d. l. regia* 5. Et univerſi fatentur. Sed *Menoch. d. c.* 375. *nu.* 11. ait advertendum, ſuper quo facto proferantur hæc verba, nam ſi factum eſt illicitum, non eſt blaſphemia. Ut tædeat Deum hunc fornicari. Quia cum id tamquam peccatum Deo diſpliceat, nil tribuitur Deo, quod ei non conveniat. Sed, ut *num. præc.* diximus, ſpectandus omninò eſt dicendi modus: ſi enim redundet in Dei contumeliam, & ejus honoris diminutionem, verba erunt blaſphema. Ut probat ratio *ibi* tradita. Hæc tamen verba, *pleguete Dios con vos*, non ſunt blaſphema, nec excedunt culpam venialem, niſi ira concipiatur Deum. Ut in ſimili dicam *num.* 30.

18 *Velit*, *nolit Deus*, *hoc ſum facturus*, vulgò, *Aunque no quiera Dios*, *o a peſar de Dios*, ſunt verba blaſphemiæ. Quia etſi peccatum divinæ repugnet voluntati; at hæc verba diminutionem divinæ potentiæ important, quaſi Deus non poſſit impedire. Et conſtat ex dictis *n.* 15. ubi probavimus ea verba, *à deſpecho de Dios*, eſſe blaſphema. Quippe nil aliud ſignificant, quàm *velit*, *nolit Deus*, ut explicat *Toledo ibi* allegatus, & cæteri *ibi* allegati idem ſignificant. Nec enim alium ſenſum poſſunt habere. At ſi quis diceret, *quamvis hoc ſit peccatum*, *vel offenſa Dei*, *ſum facturus*, non eſſet blaſphemus. Quia id ſolam iniquam peccandi voluntatem ſignificat, non autem diminutionem aliquam potentiæ, aut alicujus attributi divini.

10 *Debodo a Dios*, numeratur inter verba blaſphemiæ in *l.* 6. *regia tit.* 4. *lib.* 8. *recop.* Quòd ſi ſenſum faciant, *voto a Dios*, conſtat nil blaſphemiæ continere; ſed ſolam voti formam, quamvis ex communi uſu uti juramentum uſurpentur. (Ut ex mente ferè omnium dicemus in tractatu *de juramento*.) Quare malè *Rojas de hæretic.* 2. 2. *part. aſſertione* 12. *nu.* 171. refert inter blaſphemias, *voto a Dios*. Unde alius eſt ſenſus, nempe, ut ſignificent idem, quod *non credo in Deum*, vel *abnego Deum*. Ut ait *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 7. *n.* 9. *verſic.* 7. Vel forſan ait hæc reddi Latinè, *Devoto Deum*, ideſt *maledico Deo*, *execror Deum*. Quippe D. *Auguſt. lib. quæſt. ſuper Numeros c.* 40. ait devotare uſurpari ex vulgi interpretatione pro maledicere. Atque ita interpretantur ea verba *Azevedo ea leg.* 6. *num.* 42. & 43. *Azor. tom. primo*, *l.* 11. *inſtitutionum moralium c.* 3. *quæſt.* 2.

20 Sunt etiam blaſphema verba, *Deus eſt injuſtus*, *crudelis*, *malè providus*, *non curat noſtra*, & ſimilia. Quia attribuitur clarè Deo, quod non habet, vel negatur, quod habet. Quæ eſt ratio blaſphemiæ, ut *n.* 1. diximus. Imò *n.* 34. dicemus eſſe blaſphemias hæreticales has.

21 Imò nominare quodcumque verum Dei attributum, ut potentiam, ſapientiam, &c. convitiando, vel irridendo, eſt blaſphemia. Quia, ut explicuimus *nu.* 6. eſt falſitas in actu exercito, ſeu modo ſignificandi. Quippe illa conveniunt Deo, non ut convitio, aut irriſione, ſed ut ſumma laude digna. Ita *Cajet.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *verſic. Ex his autem.*

22 Inſuper vituperia in quaſcumque res ſacras dicta, divinum cultum, & in alia, quæ ad Deum referuntur ſunt blaſphemiæ. Quia omnia hæc in Deum horum Auctorem redundant. Ut de ſanctorum vituperiis dicemus *num.* 17. Ita docet *Corduba in quæſtionar. l.* 1. *quæſt.* 17. §. 15. *ſtatim in principio.*

23 Quando autem in his verbis contra Deum, vel ſanctos dictis, non nominantur Deus, vel ſancti, ut ſi quis dicat, *reniego de tal*, *peſe tal*, *por vida de tal*, conſtat pendere ex proferentis intentione, judicare ſit blaſphemia, necne. Et ſi intelligat nomine, *tal*, Deum, vel ſanctos, eſſe blaſphemiam: ſecùs autem non. Ut benè docent *Petrus de Ledeſma* 2. *tom. ſumm. tract.* 1. *cap.* 9. *poſt* 5. *concluſ. dub.* 1. *Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtruct. c.* 282. *verſ. Quarto & de his modis*, *Manuel* 1. *tom. ſumm.* 2. *edit. c.* 34. *num.* 2. Addunt benè hi duo judicandam eſſe intentionem in foro externo ex conjecturis, ut ſi vir effrenatæ conſcientiæ, ac iracundia furens, elevansque oculos in cœlum hæc dicat, præſumeretur ex conjecturis illa dicere contra Deum.

24 Sed quid, ſi ſub conditione hæc verba blaſphemiæ proferantur. Ut *non credo in Deum*, vel *renego Deum*, vel *Deus eſt injuſtus*, *ſi res hæc non æſt vera*; vel *niſi te percuſſero*. *Salazar de uſu*, & *conſuetudine*, *c.* 5. *n.* 28. *Unde poſſunt*, ait hujuſmodi verba non eſſe blaſphema. Quia conditionalis nil ponit in eſſe. At dicendum eſt eſſe blaſphema. Quia fidei divinæ denegatur omnimoda firmitas. Cum ſignificetur quaſi pendens ex conditione contingente. Et includitur tacita affirmativa propoſitio negandæ fidei, vel juſtitiæ divinæ, in eo eventu, in quo non ſequatur vindicta illa percuſſionis, vel veritas illius rei, quam hic affirmat. Atque ita docent *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 7. *num.* 9. *verſic.* 2. *Cantera*, quem refert, & ſequitur *Azevedo lib.* 8. *recop. tit.* 4. *l.* 1. *n.* 14. *Rojas de hæreticis* 2. *part. aſſertione* 12. *num.* 173. & 174. *Alcozer. ſumm. cap.* 15. *paulò poſt principium*, *verſ. La ſegunda dotrina*. *Corduba ſumm. q.* 61. *Ludov. Lopez* 1. *p. inſtructorii*, *cap.* 282. *verſic. Sextò*, & *de qualitate.*

25 Jurare *per Dei vitam* eſt blaſphemia. Quia non adducitur vita Dei tamquam teſtis, ut in hoc juramento *vivit Deus*. Sed eſt juramentum execratorium, cujus eſt ſenſus, *amittat Deus vitam*, *ſi non eſt ita*. Ut cum juratur per cujuscumque vitam. Et ita docent, *Sot. de jurament. abuſu cap.* 6. & *lib.* 8. *de juſt. q.* 2. *art.* 3. *col.* 6. *Cov. de pactis* 1. *p.* §. 7. *nu.* 9. *verſ.* 6. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *cent.* 4. *caſu* 375. *nu.* 12. *Rojas de hæreticis* 2. *p. aſſertione* 12. *n.* 171. *Salzedo in pract. Bern. Diaz c.* 110. *verſ. Et quia ſæpiſſimè*, *Metina lib.* 1. *ſumm. c.* 14. §. 2. *Alcozer. ſumm. c.* 15. *paulo poſt principium*, *verſ. La ſegunda dotrina*, *Lud. Lop.* 1. *p. inſtruct. cap.* 282. *verſ. Poſtquam de malitia*. Atque *l.* 6. *regia t.* 4. *lib.* 8. *recop.* numeratur inter blaſphemias. Et docent *Azevedo ibi num.* 34. *Azor. tomo* 1. *inſtitutionum moral. l.* 11. *cap.* 3. *qu.* 2. *Suarez tomo* 1. *de religione*, *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8.

26 Eadem ratione eſt blaſphemia jurare *per Sanctorum vitam*. Quia ex modo juramenti execratorii falsò tribuitur Sanctis poſſe vitam amittere. Sic *Azevedo ea l.* 6. *num.* 36. *Alcozer*, & *Lud. Lop.* relati *num. præc.*

27 Quæcumque etiam contumeliæ in Sanctos ſunt blaſphemiæ, ut *pœniteat D. Petrum*, &c. Quod docet *Cajet.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *in ſolutione ad* 2. Et conſtat ex dictis *n.* 13. Idque optimè explicat *Suarez tomo* 1. *tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *num. ſexto*, dicens non opus eſſe expreſſa habitudine ad Deum, qui in ſanctis relucet, ſed ſatis eſt virtuali, & implicitè contenta in vituperio ſanctorum. Quia (ut optimè ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 2. ſicut Deus in ſanctis ſuis laudatur, quatenus laudantur opera, quæ Deus in Sanctis facit, ita contumelia in Sanctos redundat in Deum: qui in ipſis lucet. Et ſicut, ut religiosè per Sanctos juretur, non opus eſt expreſſa habitudine ad Deum, ſed ſatis eſt virtualis, quæ in ipſis continetur; ita dicendum eſt in blaſphemia, quando ipſi vituperantur. Si tamen contumelioſa verba in Sanctos proferens præſcindat expreſsè habitudinem, quam ad Deum habent, ſolamque Sanctorum excellentiam ſpectet, quaſi quorumdam hominum excellentiam, adhuc dicit *Suarez ibi* eſſe blaſphemiam. Sed verius eſt non eſſe blaſphemiam, ſed peccatum contra cultum duliæ Sanctis debitum. Ut alios referens probavi *numero ſeptimo in fine*. Et ampliùs probatur, quia irreligiosè juraretur per illos, ſecluſa hac in Deum habitudine.

28 Similiter ſunt blaſphemiæ verba juramenta *per pudenda Chriſti*, *aut Sanctorum membra*, illave inhoneſtè nominare. Quia etſi re vera ea membra habuerint, non tamen tamquam quid ignominioſum, & vituperabile, ſed tamquam partes naturales corporis, & ita ex modo loquendi eſt falſitas. Ut diximus *n.* 6. Sic docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *verſ. Quo ad ſecundum*, *Ang. verbo*, *Juramentum* 3. *num.* 12. *Armill. verb. Juramentum n.* 5. *Sot. lib.* 7. *de juſt. q.* 2. *art.* 3. *col.* 7. *Nav. ſum. c.* 12. *n.* 85. *Cov. de pactis* 1. *p.* §. 1. *n.* 6. *Caſtr. l.* 1. *de juſta hæret. punit. c.* 12. *Azevedo l.* 8. *recop. tit.* 4. *l.* 6. *nu.* 55. *Simanc. de cathol. inſt. tit.* 8. *n.* 1. *Suar. tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8. & 9. *Valentia* 2. 2. *diſput.* 1. *qu.* 13. *punct.* 1. *verſ. Item poteſt fieri*, *Cord. in quæſt. lib.* 1. *qu.* 17. §. 15. *notabili* 1. *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *inſt. moral. cap.* 28. *q.* 3. & *lib.* 11. *c.* 3. *qu.* 2. Nec contradicunt *Sylv. verb. Blaſphemia q.* 2. & 3. & *verb. Juramentum* 2. *in fine* & *Manuel* 1. *tom. ſumm. in* 2. *edit. c.* 34. *num.* 2. ubi dicunt non eſſe verè, & propriè blaſphemiam, ſed tantùm quo ad modum; at fatetur *Sylv.* eſſe peccatum mortale. Non (inquam) contradicunt. Quia tantùm intendunt dicere non eſſe ex eis blaſphemiis, quæ attribuunt Deo, aut ſanctis, quod non habent; ſed ex iis, quæ falſitatem continent quo ad dicendi modum. Eritque blaſphemia, ſive enuntiativè, ſive optativè ea pudenda in ſanctorum ignominiam nominentur. (Ut de aliis blaſphemiis diximus *n.* 6.) Et docet *Cajet.* proximè allegatus; ubi optimè notat non eſſe differentiam formalem inter ignominiosè nominantem pudenda Chriſti, vel Sanctorum, quæ re vera habent, vel quæ non habent. Ut ſi quis juret *per ſexum fœmineum Chriſti*. Quia in ratione vituperabilis utrumque falsò dicitur, quamvis in poſteriori caſu materialiter etiam falſo dicatur; & ideò ait eſſe pejorem blaſphemiam.

29 Quando autem juratur *per membra honeſta Dei*, *vel ſanctorum*, eſt difficultas, an ſit blaſphemia. Et quidem ſi jurans intenderet jurare *per membra Dei*, attribuendo Deo, ut Deus eſt, membra; manifeſta eſſet blaſphemia. Cum attribuat Deo, quod ipſi non convenit. At numquam juratur in hoc ſenſu, ſed per membra illa honeſta, quæ verè habet Deus in quantum homo, ut per caput, & ſanguinem Chriſti, vel Sanctorum, aut alia membra honeſta. Et quidem *lex* 6. *regia tit.* 4. *lib.* 8. *recopil.* jurantem per quæcumque Chriſti membra jubet pœnis blaſphemi plecti, atque ita id juramentum cenſet eſſe blaſphemiam. Et explicans eam *Covarr. de pactis* 1. *part.* §. 7. *num.* 9. *verſic.* 8. dicit ejus rationem eſſe. Quia ſenſus ejus juramenti eſt execratorius. Sicut diximus *n.* 25. & 26. eſſe ſenſum execratorium, quando juratur per vitam Dei, vel Sanctorum; & ideò eſſe blaſphemiam. Et *ipſemet Covarr. ea* 1. *par.* §. 1. *num.* 6. refert quamdam *Gloſſam*, *Bartolum*, & *Alexandrum* ſentientem eſſe blaſphemiam. Quibus ipſe connivet, quando quis aſſuetus eſſet his juramentis uti; at ſi non eſſet conſuetudo, nec contemptus, dicit eſſe veniale. Et quo ad hoc ultimum tenet idem *Angelus verbo*, *Juramentum* 3. *num.* 12. ait enim eſſe veniale, quando reverenter, & non cum magna frequentia ſic juratur. Et *Sylveſt. verb. Blaſphemia*, *q.* 2. ait eſſe blaſphemiam quo ad modum, quando irreverenter juratur. At *qu.* 3. ait non eſſe mortale, niſi irreverentia magna eſſet. Et *Sotus l.* 8. *de juſt. qu.* 2. *art.* 3. *col.* 7. & *de juramentorum abuſu c.* 6. & *Azevedo d. l.* 6. *num.* 60. inter blaſphemias computant. Atque *Azevedo* eam rationem reddit; quòd ſit irreverentia, & quaſi membratim Chriſtum dividere. Et *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *cent.* 4. *caſu* 375. *num.* 14. cenſet eſſe blaſphemum jurare per Dei membra. At dicendum eſt non eſſe blaſphemiam. Quia nil Deo, vel ſanctis tribuitur, quod verè non habeant; & cum membra hæc honeſta nominantur, nulla eſt inhoneſtas, & indecentia, qualis eſt, cum inhoneſta nominantur; & ideò non cedit in ignominiam, & deriſionem Chriſti, & Sanctorum. Nec ſenſus juramenti per hæc membra eſt execratorius, ſeu ſimplex, ſicut quando juratur per Deum, per Sacroſanctum Sacramentum, per Evangelia, per Sanctos. Et ita tenent *Cajetan. Armilla*, *Nav. Alcozer*, *Ludov. Lop. num. ſequ.* allegandi, D. *Antonin.* 2. *p. tit.* 10. *c.* 4. *in initio*, *Sylv. verb. Juramentum* 2. *in fine*, *Tab. verbo*, *jurare*, *q.* 5. *num.* 6. *Toledo l.* 4. *ſumma c.* 13. *n.* 6. *Petrus de Ledeſma* 2. *tom. ſumm. tractatu* 1. *c.* 9. *poſt* 5. *concluſionem*, *coroll.* 2. *Manuel* 1. *tom. ſumm. in* 2. *edit. c.* 34. *n.* 2. *Valent.* 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *col.* 4. *verſ. Si verò aliquis juret*. Imò ſi hoc juramentum reverenter emittatur, nec erit culpa venialis, ſicut nec alia juramenta emittere. Ut benè tradunt D *Ant. Sylv. Tab. Valent.* proximè allegati. Nec frequens conſuetudo hæc juramenta emittendi confert aliquid, ut blaſphemia cenſeantur, aut peccatum mortale. Sicut nec alia juramenta ex hac ſola prava conſuetudine redduntur mortalia. In eo tamen caſu erunt blaſphemia hæc juramenta, vel etiamſi abſque juramento ea membra honeſta Chriſti, vel Sanctorum nominarentur, quando injuriosè, & per modum vituperii, ac contemptus cujuſdam nominarentur. Quia cum non ſint in Chriſto, vel ſanctis, ut quid contemptu dignum, eſſet falſitas in actu exercito. Sicut de inhoneſtis membris diximus *num. præc.* & de veris Dei attributis diximus *n.* 21. Et ita docet *Toledo eod. c.* 13. *in num.* 6. Et fortè in hoc caſu intelligitur *lex regia citata* condemnans hæc juramenta, ſit blaſphema. Et in hoc caſu cenſet etiam eſſe blaſphemiam *Suar. tomo* 1. *de religione*, *tract.* 3. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 11. & ſic intelligitur *c. Si quis* 22. *q.* 1. ubi ſignificatur eſſe blaſphemiam.

30 Imò, nec erunt blaſphemia hæc verba, quibus membra honeſta Chriſti nominantur, quando id ſit cum indignatione quadam, & ira. Ut contingit, quando aliquis indignabundè in jurgio ait, *Cuerpo de Dios con vos*. Quia etſi irreverenter dicantur, non tamen dicuntur per modum contumeliæ, & injuriæ Deo irrogatæ; nec aliquid falſum Deo tribuitur. Atque ita docent *Cajetan. ſumma*, *verbo*, *Blaſphemia*, & *ibi Armilla num.* 1. *Nav. ſumma c.* 12. *num.* 85. *Alcozer ſumma c.* 15. *pag.* 3. *verſic. La quinta dotrina*, *Ludov. Lop.* 1. *p. inſtruct. c.* 282. *verſic. Poſtquam de malitia*. Atque benè dicunt *Cajet. Armilla*, *Alcozer*, & *Ludovicus Lop.* eſſe peccatum veniale grave. Hoc autem intelligitur, quando indignatio illa, & ira erga illum eſt, cum quo contenditur. Nam ſi indignatio, & ira ſit adversùs Deum, blaſphema erunt illa verba. Quoniam in actu exercito falsò ſignificant Deum mereri indignationem. Ita *Valent.* 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *verſ. Sed tamen illud*. Et in hoc ſenſu ait eſſe blaſphemiam *Sotus de juramentorum abuſu c.* 6. quaſi temperans id quod docuerat *cap.* 4. ubi dixerat hæc verba proximè ad blaſphemiam accedere; & ſimile ait de illis verbis, *ò fides Dei cum tali homine*; ad modum, quo Gentiles implorantes Deorum fidem ajebant: *Dii veſtram fidem*. Sed nec hæc verba exiſtimo eſſe blaſphema, niſi quando ira in Deum concipitur. Quamvis *Suar. eo c.* 6. *n.* 11. dicat hæc verba, *Cuerpo de Dios con vos*, eſſe ſemper in rigorem blaſphemiam, etſi ſit indignatio in ſolum hominem. At plus placet, quod dixi.

31 De illis etiam verbis, quibus æquatur veritas humana divinæ, non modica eſt difficultas. Ut dum quis dicit, *ſicut Deus eſt veritas*, *ſicut natus eſt ex Virgine*, *hoc ita eſt*. Quæ verba tamquam blaſphema condemnant *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 7. *num.* 9. *verſic.* 11. & *Suar. eo c.* 6. *num.* 12. & *Sot. de juram. abuſu c.* 6. quamvis mitiùs locutus fuerit *lib.* 8. *de juſt. q.* 2. *art.* 3. *col.* 7. ubi dixit proximè ad blaſphemiam accedere. At ſic diſtinguendum eſt. Si animus proferentis ſit, tantam eſſe certitudinem in eo dicto, quanta eſt in ea fidei veritate, ſunt blaſphema. Secùs autem eſt, quando ſenſus eſt, ſimilitudinem quamdam ſignificare, nimirum, hoc ſuo modo eſt verum, ſicut ea fidei veritas. Atque ita docent *Metina lib.* 1. *ſumma*, *c.* 14. §. 2. *fol.* 76. *pag.* 2. *Alcozer ſumma cap.* 15. *pag.* 3. *verſ. La quarta dotrina*, *Azor. tom.* 1. *l.* 11. *inſtitutionum moral. c.* 3. *q.* 2. *ſi. Petrus de Ledeſ.* 2. *tom. ſummæ*, *tract.* 1. *c.* 9. *poſt* 5. *concl. dub.* 2. *Manuel* 1. *tom. ſumma*, *in* 2. *edit. c.* 34. *nu.* 2. *Azevedo l.* 8. *recopil. tit.* 4. *l.* 6. *num.* 38. & 39. *Ludov. Lopez* 1. *p. inſtruct. c.* 282. *verſ. Tertiò de iſto modo*. Idem dicendum eſt de his verbis, quibus quando quiſpiam aliquid tamquam veriſſimum aſſeverare vult, dicit, *hoc eſt Evangelium*, *credi poteſt tamquam Evangelium*. Quia eadem eſt ratio. Sic *Azevedo ea l.* 6. *num.* 40. *Ludovicus Lop. ibid. Azor. ead. qu.* 2. Qui etiam benè ait idem dicendum de his verbis, quando ſuam innocentiam quis oſtendere volens ſic ait: *ſum innocens*, *ſicut Divus Franciſcus*. Sed adhuc ſupereſt, an omnia hæc verba ſint abſolutè judicanda blaſphema, & talia ex ſe præſumantur, ubi non conſtat de ſana proferentis intentione. Id enim affirmat *Azevedo eo n.* 40. At dicendum eſt contrarium. Quia ex communiter accidentibus non præſumitur animus adæquandi omnino, nec hic eſt communiter animus ea verba proferentis; ſed eſt hyperbolica quædam locutio, qua exaggeratur illius dicti veritas, ac perſonæ innocentia, aſſimilando illa veritati divinæ, & innocentiæ cujuſdam Sancti. Et ita *Alcozer*, & *Lud. Lop.* ſentiunt, dum ajunt hanc eſſe communiter intentionem. Atque ille benè ait, nec eſſe hæc verba culpam lethalem, ubi non conſtaret de blaſphemo omnino æquiparandi animo.

32 Juramentum autem *per intemeratam Deiparæ virginitatem*, quidam videtur ſentire eſſe blaſphemiam, & appellant id juramentum nefandum. Ita *Sotus l.* 8. *de juſt. qu.* 2. *art.* 3. *col.* 7. *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 7. *n.* 9. *verſ.* 10. *Azevedo l.* 8. *recop. tit.* 4. *lib.* 5. *numer.* 13. Atque eſſe blaſphemiam ait *Menochius de arbitr. lib.* 2. *centuria* 4. *caſu* 375. *numer.* 15. Et refert *Covarr.* pragmatica quadam regia cautum eſſe hoc juramentum puniri tamquam blaſphemum. Et reddit rationem, quòd ſenſum execratorium faciat. Sicut *numero vigeſimonono* retulimus ex ipſo facere ſenſum execratorium, jurare *per caput Chriſti*. Aliam rationem innuit *Sotus*, quòd videatur ignominiosè mentio fieri membri pudendi Divæ Virginis. Sed verè neutrum ſenſum id juramentum efficit; ſed in teſtem adducitur ea veritas divina Virginitatis Deiparæ; ſicut quando juratur *per Deum*. Unde nec id juramentum eſt blaſphemum, nec nefandum, nec eſt culpa aliqua id reverenter jurare. Sicut & in cæteris juramentis contingit. Si autem ſit aliqua irreverentia, erit culpa venialis.

33 Ex dictis poſſet quiſpiam inferre, omne perjurium blaſphemiam eſſe. Quòd pejerans Deum adducat, ut teſtem falſitatis. Quod ipſi convenire nequit. At contrarium dicendum eſt cum D. *Thom.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. *ad* 2. Quippe pejerans non dicit aliquid falſum de Deo; ſed Deum adhibet in teſtem falſitatis, non quaſi æſtimans Deum poſſe falſitatis teſtem eſſe, aut id attribuere ei volens; ſed tamquam ſperans fore, ut Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod evidens ſignum.

34 Inſuper eſt aperta blaſphemia, quando creaturæ tribuitur aliquid, quod eſt proprium Dei. Ut ſi quis diabolum eſſe omnipotentem; aut fatum regere omnia dicat. Et ita docet *D. Thom.* ab omnibus receptus 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 3. ubi eam rationem reddit, quia eo ipſo attribuitur aliquid Deo,

Deo, quod ipsi non convenit. Cum enim universa Dei attributa sint ipse Deus, tribuens creaturæ id attributum dicit creaturam esse idem cum Deo. Vel potest reddi ratio cum *Valentia 2. 2. disput. 1. quæst. 13. puncto 1.* Quia tribuens id attributum creaturæ dicit eo ipso non esse Dei proprium, sed commune cum creatura. Atque proinde blasphemus est, utpote quid de Deo negat, quod ei proprium est. Et (ut optimè advertit *Azor. tomo 1. libro 9. institutionum moralium, cap. 28. qu. 3.*) crimen hoc solent admittere lascivi fœminarum amatores, quas ita ardenter amant, & immodicè laudant, ut blasphemantes nominibus Dei propriis eas appellent.

35 Hinc forsan inferetur, blasphemum esse, quod in infortuniis contingentibus solet ab aliquibus dici; *sic tandem futurum erat*. Videtur enim significari fato regente id evenire, atque (ut Gentiles putabant) fatum rebus inesse: aut fato necessitatem horum casuum contingentium inesse: aut ordinationem divinam imponere necessitatem absolutam hominibus. At dicendum est cum *Corduba summa, qu. 62. & Ludov. Lopez 1. p. instruct. c. 282. vers. septimò & de ista*, esse propositionem malè sonantem, ob rationem dictam; atque ideò ea utentes corrigendos esse. At in hoc sensu vera est, si intelligatur non de necessitate absoluta tollente rerum contingentes eventus, ac libertatem humanam; sed de necessitate conditionali, ac ex suppositione, quam Theologi vocant necessitatem consequentiæ, qua omnia ordinata, ac prævisa à Deo necesse est evenire.

36 Secunda conclusio. Blasphemiæ quædam sunt hæreticales; quædam autem non hæreticales. Illæ sunt, quæ significant, & continent errorem contra fidem. Hæ autem sunt, quæ etsi ex dicendi modo, & in actu exercito significent errorem contra fidem (ut n. 6. explicuimus) non tamen secundùm se affirmant aliquid contra fidem. Ita *Eymericus in directorio Inquisit. 2. p. qu. 41. nu. 1. & 2. & ibi Penna commento 66. Bannez 2. 2. q. 13. art. 1. in fine, Ugolin. de casibus Papæ reservatis 2. p. c. 1. §. 3. n. 1. Petr. de Ledes. 2. tom. summæ, tract. 1. c. 9. conclus. 6.* Et clariùs tunc est blasphemia hæreticalis, quando per verbum aliquod indicativi modi asseritur aliquid fidei contrarium. Quando autem id non asseritur per hujusmodi verbum, sed optando, aut imprecando, non est hæreticalis. Exemplum hæreticalium sit, *Deus est injustus, acceptor personarum, non est omnipotens*. Quæ exempla manifesta sunt. Insuper sunt hæ blasphemiæ hæreticales, *non credo in Deum; descreo de Dios, renego Deum, fidem, crucem, chrisma, puritatem Deiparæ*. Ratio est, nam hæc verba per modum indicativi important fidei abnegationem, & infidelitatem. Et ita docent *Rojas de hæretic. 2. part. assertione 12. num. 170. & 171. Salzedo in pract. Bernard. Diaz cap. 110. vers. Et quia sæpissimè, Suar. tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 1. c. 5. num. 7. & 8. Azevedo lib. 8. recopil. tit. 4. l. 1. num. 3. Manuel. 1. tom. summæ, in secunda edit. c. 34. num. 1.* Quando autem de sanctis renegatur, nil inveni apud Doctores, an sint blasphemiæ hæreticales hujusmodi renegationis verba, ut *renego D. Petrum*. Sed existimo non esse, nec de illis cognoscunt Inquisitores. Ut ab ipsismet accepi. Quia non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad fidem. Sed tantùm est verbum quoddam contumeliosum in sanctos; & ideò blasphemum. Exempla autem blasphemiarum non hæreticalium sunt hæc. Quæcumque Dei maledictiones, ut *mal grado aya Dios, maledictus sit Deus*. Ita *Eymeric. Penna, Rojas, Salz. Suar.* proximè allegati. Item non est hæreticalis *tædeat Deum*, idest, *pesete Dios*. Ita *Bannez, Petr. de Ledes. Rojas, Salz. Suar. Manuel. ibidem*. Nec *à despecho de Dios, Rojas, Suarez num. 8. Salzedo ibidem*. Nec *per Dei vitam, Rojas, Suarez ibidem, Manuel. ibidem*. Et ratio est, quia re vera per has blasphemias, cum indicativi modi non sint, nil falsum dicitur de Deo, ut possint hæresim continere, sed tantùm pravus affectus blasphemantis ostenditur erga Deum, volentis ex modo dicendi, quasi earum ignominiarum reddere Deum capacem. At essent hæreticales, si per modum indicativum assereret blasphemans Deum esse illarum capacem. Advertit etiam optimè *Suarez eo numero septimo* esse hæreticales, falsa Deo tributa, licèt non affirmetur. Ut si quis dicat, *ò Deum injustum*. Et similiter dicit esse tales attribuere creaturæ, quod est solius Dei, vel de his, aut convenientibus Deo, dubitationem ostendere.

37 Tertia conclusio. De solis blasphemiis hæreticalibus cognoscunt Inquisitores. Ita *Eymericus numero præcedenti allegatus, & Pennà ibidem* citatus, ubi & alios allegat *Simancas de cathol. institut. tit. 8. num. 6.* & habetur *in num. quinto instructione Hispalensi c. 4.* Et de his cognoscunt privativè, nimirum inhibendo quemcumque alium judicem Ecclesiasticum, aut sæcularem, ne de illis cognoscat. Quare minùs benè *Castro lib. 1. de justa hæretic. punit. c. 12. in fine, & Corduba in quæstionar. lib. 1. qu. 17. §. 13. notabili 4. versiculo, In cujus examinatione*, dicunt inquisitores ex potestate delegata, aut saltem ex hujus regni consuetudine cognoscere de blasphemiis non hæreticalibus cumulativè cum judice Ecclesiastico, & sæculari, ita ut inter ipsos detur præventioni locus. Nam, ut diximus, de solis hæreticalibus cognoscunt. Aliæ autem blasphemiæ sunt mixti fori, atque ita datur locus præventioni ad cognoscendum de illis, inter judicem Ecclesiasticum, & sæcularem. Ut per *cap. 2. de maledicis*, docent *Abbas num. 9. Covarr. de pactis 1. p. §. 7. num. 12. versic. Crimen autem, Simancas dict. tit. 9. num. 9. Rojas de hæretic. 2. p. assertione 12. n. 171. & 172. Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 28. qu. 5.*

38 Quarta conclusio. Quocumque modo ex dictis blasphemiæ proferantur, sive in Deum, sive in Sanctos, sive enunciativè, sive optativè, sive imperativè, sive per modum maledictionis, sive contumeliæ, sive irrisionis, sive detractionis, universæ sunt ejusdem speciei. Quia universæ illæ in hac ratione specifica conveniunt, quæ est tribuere Deo, quod ipsi non convenit, vel negare, quod convenit. Et quamvis aliqui, ut refert *Azor.* statim allegandus, censeant blasphemiam in Deum differre specie à blasphemia in sanctos. At verius est non differre. Quia utraque blasphemia est contraria virtuti religionis. At unius speciei est religio tribuens cultum Deo, & sanctis propter Deum. Ergo unius speciei est blasphemia, qua Deus in se, vel in sanctis suis blasphematur. Sicut unius speciei est juramentum, quo juratur per Deum in seipso, vel ut in sanctis relucet. Et ideò hanc conclusionem tenent, *Cajet. summa, verbo Blasphemia, 2. 2. qu. 13. artic. 1. versic. Quo ad secundum, & versic. In responsione ad 2. & ibi Aragon. in fine, Bannez ibi. not. ult. Valentia 2. 2. disp. 1. qu. 13. puncto 1. versic. Quocumque igitur, Petr. de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 1. cap. 9. concl. 5. Azor. tom. 1. lib. 9. inst. moral. c. 28. q. 10.* Qui benè addit non negari ab his Doctorib. posse blasphemias aliunde specie differre. Nam ea, quæ continet hæresim, manifestè differt specie ab illa, quæ non continet; non in ratione blasphemiæ, sed ratione hæresis adjunctæ. Quod ego intelligo, etiamsi deficiat assensus internus hæreticus. Nam illa hæresis externa opponitur directè, & propriè confessioni externæ fidei; at blasphemia directè, & propriè religioni. Ut diximus *n. 7.* Erunt ergo duo peccata specifica diversis specie virtutibus opposita. Quod etiam docet *Suarez tomo 1. de religione, tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 8. & 18.* Similiter est distincta species, ubi blasphemia ex odio Dei formali procederet. Quia ultra speciem blasphemiæ est ibi formale Dei odium charitati oppositum. At ubi non ex hoc odio procederet, sed ex ira, & tædio, etiamsi blasphemans haberet animum derogandi divinæ majestati, ac ipsi convitia illa inferendi, non esset distincta blasphemiæ species, sed hæc esset multò gravior blasphemia. Quia, ut diximus *num. 2.* hæc iniqua voluntas, sive formalis, sive virtualis, & implicita, est de ratione blasphemiæ. Quare diversam speciem minimè constituit.

39 Hinc est, ut quo ad confessionem attinet, non teneatur confessor diversitatem blasphemiarum inquirere: nec pœnitens eam explicare pro diversitate illarum specifica. Cum omnes sint ejusdem speciei. Ita *Cajetan. 2. 2. quæst. 13. art. 1. in fine*. Excipe tamen duplicem casum *numero præced.* notatum, in quo diximus blasphemias differre specie. Quare amplectendo sententiam dicentem solas circumstantias speciem mutantes esse necessariò fatendas, non esset necessariò blasphemiæ qualitas exprimenda in confessione, extra duos illos casus, & tertium, quem proximè ponam. Sed satis fateretur dicens se toties in blasphemias non hæreticales, nec ex formali Dei odio prorupisse. Quia extra hos casus blasphemiæ non differunt specie. At retenta opinione verissima dicente circumstantias notabiliter aggravantes fatendas esse, non satis est confusè explicare blasphemias. Quod satis apertè indicat *Cajetan. eo artic. primo in fine* ubi ait confessorem non debere blasphemiarum gravitatem, ac diversitatem inquirere pro specifica earum diversitate, sed pro majori solùm gravitate judicanda. Et in hac ratione necessariò explicandas esse blasphemias tradunt *Bannez, Aragon. Petr. de Ledesma num. præcedenti* allegati, *Ludov. Lopez 1. p. instruct. cap. 282. vers. Deinde plurima alia*. Sed non distinctè exprimunt, quid explicandum sit in confessione circa has blasphemias. Et ideò, ut distinctè id explicem, duo possunt dubitari. Alterum est, an necessarium sit exprimere, contra quem sit blasphemia, nempe, an contra Deum, an contra sanctos, & contra quem sanctum. Alterum autem, an specialiter explicanda sit qualitas blasphemiæ, ut an fuerit, *pæniteat Deum*, vel *per Dei vitam*; vulgò *pesete, o por vida*, &c. Et quantùm ad primum, videtur id non esse necessarium. Quia non videtur ita notabiliter gravior blasphemia in Deum, quàm in sanctos, ut ea sit explicanda. Sicut juramentum falsum jurando per Deum est gravius, quàm jurando per creaturas. At nullus dicit qualitatem juramenti esse fatendam in perjurio. Quia utroque modo Deus in testem falsitatis adducitur, vel in se, vel ut in suis sanctis relucet. Sic ergo idem erit in blasphemia dicta. Nam utroque modo blasphemia est contra Deum, sive in se, sive in suis sanctis. At primò dico, expressum, & formalem affectum derogandi, ac convitium inferendi, sive Deo, sive sanctis, explicandum esse in confessione. Quia etsi non mutet speciem ut *num. præc.* diximus, aggravat notabilissimè. Et ita videtur tenere *Aragon.* proximè alleg. non enim satis explicat perversæ voluntatis nomine, quam explicandam docet, an intelligat solam detestationem formalem, sive odium. Secundò dico, multò verius mihi esse, explicandum necessariò esse, an blasphemia sit contra Deum directè, & immediatè, ut *pesete Dios, o por vida de Dios, maldito sea Dios*; an mediatè, & remotè, qualis est in sanctos. *Ut pesete San Juan, por vida del santo, o maldito sea*. Ratio est, quia etsi in perjurio non reputetur ea gravitas multò notabilior, utpote quod non est directa Dei contumelia, nec ex intentione expressa, aut tacita pejerantis in id tendit, At blasphemia non est ut perjurium, sed di- rectè

rectè tendit ad dehonorandum eum, in quem jactatur, & est vera, ac directa ejus contumelia. Nemo autem negabit multò gravius esse, Deum in se ipso contumeliis afficere, quàm repræsentatum in sanctis. Et ita videtur expressè tenere *Cajetan. 2. 2. quæst. 13. art. 1. in fine*, ubi cum dixisset blasphemiam in Deum, & in sanctos non differre specie, immediatè subdit confessarium non debere inquirere diversitatem harum blasphemiarum pro diversitate specifica, sed pro majori gravitate. Sed meliùs id docet *Suarez eodem c. 6. in fine*, quia, inquit, in blasphemia contra sanctum, præter speciem blasphemiæ, est alia specifica contra cultum duliæ debitum sanctis secundùm se. Videntur etiam tenere *Bannez, Petr. de Ledes. & Ludov. Lopez* proximè allegati, dum dicunt qualitatem blasphemiæ esse explicandam. Et tenet *Aragon. eo art. 1. in fine*. Tertiò dico, esse quoque explicandum, an blasphemia fuerit contra beatam Virginem, an contra alios sanctos. Quia in communi, ac verissima æstimatione, est multo gravior in beatam Virginem, quàm contra reliquos sanctos. Et ita tenet *Aragon. ibi*. Quartò dico, inter alios sanctos non esse explicandum necessariò, contra quem sanctum blasphemia fuerit. Quia etsi aliqua major gravitas contra aliquos, non est ita notabiliter major, ut diversum judicium facit. Quintò dico, non satis esse blasphemias in genere explicare, etiam explicando, an sit contra Deum, vel B. Virginem, aut reliquos Sanctos; sed oportet modum blasphemiæ explicare: ut si fuit *per vitam Dei*, vel *pæniteat Deum* vel *per membra pudenda*: & si fuit blasphemia hæreticalis, debet explicari, quæ fuerit. Ratio est, quia diversitas judicii notabilis consurgit ex qualitate blasphemiæ. Cum quædam notabiliter majorem contumeliam contineat, quàm aliæ. Sicut contingit in verbis contumeliosis adversùs homines prolatis. Et ita expressè docent *Petrus de Ledesma, & Ludov. Lop.* allegati. Et satis id indicant *Bannez, & Aragon.* proximè alleg. Et confert ad hoc id, quod cum *Valentia* diximus *cap. septimo, numero 17. in fine*, nempe teneri hæreticum explicare in confessione qualitatem erroris.

40 Quinta conclusio. Blasphemia in Deum, vel sanctos non excusatur à mortali, ratione parvitatis materiæ, sed ex solo plenæ deliberationis defectu. Sicut in perjurio non datur parvitas materiæ, sed ex solo deliberationis defectu potest esse veniale. Quia qualiscumque contumelia in Deum, vel in sanctos prolata, est gravissima. Et ita satis clarè significat *D. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 2. ad 3.* ubi solùm excusat blasphemiam à mortali, ob deliberationis defectum. Et docent expressè *Cajet. in summ. verb. Blasphemia, Val. 2. 2. disp. 1. q. 13. puncto 1. notabili 3. summæ tract. 1. cap. 9. post 7. conclusionem, Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 282. col. 5. Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 2.*

41 Imò, etsi joco dicantur verba blasphemiæ, erit mortale. Nec enim levis injuria est, nominare joco membra pudenda Christi, vel sanctorum, vel dicere, *pæniteat illos*, aut *renego*. Et ita docet *Navarrus summa c. 12. n. 48.* Quod intelligo, nisi jocus tollat rationem omnimodam irreverentiæ, & sic blasphemiæ rationem. Sicut *n. 9.* diximus de jurante per falsos deos causa joci, & irrisionis.

42 Est tamen temperanda conclusio, ut intelligatur, quando blasphemia jactatur in sanctos, non directè, & formaliter, quatenus sancti sunt; sed materialiter, & per accidens, & ut quidam homines sunt. Tunc enim ratione parvitatis materiæ esset blasphemia venialis. Quia sanctitas se habet tunc per accidens. Dicitur autem blasphemia aliquo modo, & materialiter. Quia propter conjunctam sanctitatem sunt sancti plus honorandi etiam in naturalibus. Exemplum hujus blasphemiæ venialis est. Si quis joco diceret S. Crispinum fuisse sutorem, aut Sanctos Joannem, & Paulum fratres fuisse eunuchos. Ita docent *Bannez, Aragon. Lud. Lop. n. 40.* relati.

43 Quando autem ex deliberatione dicitur blasphemia, quidam limitant, ut sit mortalis, nisi homo sit assuetus blasphemare, nec conatur pravam illam consuetudinem emendare. Tunc enim blasphemia ex subreptione procedens erit mortalis. Quia etsi in se non sit plenè volita, est tamen plenè volita in sua causa. Sicut de peccatis ebrii antea prævisis dici solet. Secùs autem est, ubi non est talis consuetudo, vel eam habens nititur se emendare. Ita *Toledo lib. 4. summæ c. 13. n. 7. Ludov. Lop. 1. p. instruct. c. 282. vers. octavò vide alios modos*. Et id dicit probabile *Emmanuel Sà summa verb. Blasphemia, num. 3.* At contradicit *Navarrus summa cap. 12. n. 84.* ubi ait non esse mortalem blasphemiam ex subreptione dictam, etsi procedat ex prava consuetudine, & lata culpa; quando indeliberatio est causa dicendi, quia nimirum si ille plenè advertisset, non dixisset. Et refert pro se *Cajet. summa, verbo Blasphemia*, qui tamen ei non favet; nam loquitur absolutè de blasphemia procedente ex indeliberatione. At in hoc casu procedit ex prava consuetudine. Refert etiam pro se *Sylvest. verb. Blasphemia, q. 3.* qui dubius manet, & potius in priorem sententiam inclinat. Atque illam veriorem alii existimant, cum hac tamen limitatione, ut ille adverterit antea pravam illam consuetudinem esse sibi causam prorumpendi in blasphemias absque plena deliberatione dictas, nec curet emendam. Sed in hac quæstione est idem idem prorsus dicendum, quod *lib. seq. toto cap. 5.* dicemus de pejerante, quoties perjurium procedit ex nimia jurandi consuetudine.

44 Sexta conclusio. Juxta decretum *Concilii Lateranensis sess. 9. §. Ad abolendam*, blasphemus non potest absolvi à confessore, nisi gravissima pœnitentia ipsius arbitrio imposita. Sic enim expressè *ibi* definitur. Et ita docent *Nav. summa c. 12. n. 38. Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 15. paulò post principium. Petr. de Ledesma 2. tomo summæ tract. 1. c. 9. in fine*. At id decretum non est usu receptum, & ita hodie non obligat. Quod docent *Armilla verb. Blasphemia, in fine, & ibi Emmanuel Sà nu. 2. Azor. to. 1. lib. 9. instit. moral. c. 28. q. 9. Suarez tom. 1. de religione, tr. 3. l. 1. c. 7. n. 2.* ubi etiam optimè docet hoc peccatum non esse reservatum. Quod etiam idem docuerat *tom. 4. in 3. p. disput. 28. sect. 3. n. 10.*

45 Tandem superest triplex brevis difficultas. Prima est, an habens consuetudinem blasphemandi sit absolvendus? *Medina lib. 1. summa c. 14. §. 2. Petrus de Ledesm. 2. tomo summæ tr. 1. c. 9. in fine, Manuel 1. tom. summ. in 2. edit. c. 43. n. 5. Lud. Lopez 1. p. instruct. cap. 282. versic. Sed quid si blasphemus*, asserunt, hunc quando in aliis confessionibus emendam proposuit, nec emendatus est, non esse statim absolvendum, sed differendam ei absolutionem, donec emendetur. Quod temperat *Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 28. q. 18.* nisi signa certa, & manifesta detestationis illius criminis ostendant, & in aliud tempus differri commodè absolutio nequeat. At mitiùs loquitur *ipse Azor. tom. 1. lib. 11. instit. moral. cap. 3. qu. 4.* loquens de habente pravam jurandi consuetudinem, ubi ait hunc, si alioquin admonitus aliquid curæ, & laboris apposuerit ad eam consuetudinem extirpandam, statim absolvendum esse; secùs si sæpè admonitus nullam curam adhibuit, nisi justa causa subsit ad concedendam statim absolutionem. Et ideo quamvis crimen blasphemiæ sit multò gravius applicando prædictam doctrinam ad illud: dico primò habentem pravam blasphemandi consuetudinem, qui numquam est admonitus, ut illam deponat, vel si sæpè in aliis confessionibus admonitus est, & aliquid operæ, & studii collocavi ad eam consuetudinem evellendam, debere statim absolvi. Quia si numquam est admonitus, non est in tanta culpa; si autem admonitus est, & aliquid studii collocavit, jam ex parte sua aliquid confert, & si differatur absolutio, fortè cadet animus, & à confessione deterritus in pejus labetur. Secundò, dico, quando nil curæ apposuit ad emendam, admonitusque est sæpè in aliis confessionibus, posse adhuc hunc in rigore statim absolvi; si verè doleat de præteritis, ac in posterum emendam firmiter proponat. Quia nullam occasionem extrinsecam habet, ut vel sic necessariò impediatur absolutio, sed ex fragilitate carnis, sicut & in alia vitia. Tertiò dico, an sit consilium differre absolutionem, pendere ex confessoris prudentia. Si enim pœnitens id non multùm ægrè ferat, & speretur non ob id retrahendum à confessione, sed potiùs id fore medicinam, erit consilium differre absolutionem, majori suavitate possibili adhibita; si autem oppositum speretur, non erit consilium; nisi quando ille iis blasphemiis ingens præberet scandalum, & ita confessarius judicaret postponendum privatum illis solatium, & ad gloriam divinam expedire illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciat, nitendo vitæ emendam.

46 Secunda difficultas est. An audiens blasphemantem teneatur eum graviter increpare, etiamsi nulla emendæ spes adsit, si tamen possit absque periculo sic increpare? Affirmant *Navarr. summa Lat. c. 12. num. 83. Hispana c. 28. addit. ad n. 83. c. 12. Petr. de Ledesma 2. tom. summæ, tract. 1. cap. 9. in fine, Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 51. paulò post principium*. Ducuntur autem, quia in *Concilio Lateranensi sess. 9. §. Ad abolendam*, id videtur præcipi. Sic enim ait: *Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter verbis objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget*. Sed *Azor. tom. 1. lib. 9. institutionum moralium cap. 28. quæst. 7.* id negat. Tum, quia etsi Concilium potuerit id jus novum statuere, non spectando blasphemantis emendam, sed potiùs delicti pœnam, ut illa increpatio sit quædam illius pœna; at non constat ex ejus verbis id jus novum pœnale statuere voluisse. Quare ne præcepta, & pœnæ sine urgenti fundamento multiplicentur, potiùs dicendum est, voluisse tantùm in memoriam audientis revocare præceptum naturale, ac divinum correctionis fraternæ. Quod est certum minimè obligare; ubi spes emendæ non speratur. Tum etiam, quia esto id jus novum concedere voluerit, non est usu receptum. Sicut nec quo ad pœnitentiam gravem imponendam ante absolutionem in foro conscientiæ, diximus *num. 44.* non esse usu receptum. Sed existimo id decretum continere novum jus; ac proinde obligare, etiamsi emenda desperetur. Ut dixit prior sententia. Quia id apertè indicant ea verba Concilii: *Acriter objurgare teneantur*. Quippe fraternè corrigere, ad quod præceptum naturale divinum obligat, est admonitio quædam suavis, & fraterna, objurgatio autem acris est aspera, & gravis reprehensio. Objurgare enim est reprehendere, & increpare. Quamobrem verè Concilium in hac objurgatione non tam attendit ad blasphemantis emendam, quàm ad quoddam ejus supplicium, & ad tuendum honorem divinum objurgatione illa. Qui blasphemia detrimentum patitur. At credo id præceptum Concilii non obligare, eò quòd usu receptum minimè sit. Quare solùm obligantur audientes ad fraternè corrigendum præcepto naturali divino, quando speratur emenda. An verò ex præcepto amoris Dei teneatur audiens respondere pro Deo, etsi desperetur emenda; dicemus *c. 35. num. 9.*

47 Ul-

47 Ultima difficultas est. An teneantur audientes blasphemum illum denuntiare judici? In eo decreto *Concilii Lateranensis*, quod *num. prec.* allegavi, præcipitur hunc denuntiari, his verbis: *Eum denique deferre, vel notificare apud judicem Ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quòd si plures dictum blasphemantem simul audierint, singuli cum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali officio fungatur*. Et Julius III. in sua constitutione Pontificia, quæ incipit, *In multis*, imperat, ut audientes denuntient intra triduum, alioquin in easdem blasphemi pœnas incurrant. Et *c. Si quis per capillum* 22. *q.* 1. Pius I. constituerat divina condemnatione coercendos non denuntiantes. Atque Inquisitores quotannis, dum edicta promulgant, & Episcopi in suis edictis jubent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ blasphemos denuntiari. Quare prorumpentes in blasphemias hæreticales, de quibus soli Inquisitores cognoscunt, sunt ipsis denuntiandi. Blasphemiæ autem non hæreticales sunt denuntiandæ judici Ecclesiastico, aut sæculari. Quippe solùm illi de his cognoscunt. Juxta dicta *n.* 37. Nec edicta judicum Ecclesiasticorum præcipientia sibi denuntiari, impediunt denuntiationem fieri alteri judici potenti de illis cognoscere, utpote quæ ejus jurisdictionem non minuunt; sed id solùm intendunt, ut blasphemiæ denuntientur, ne impunitæ maneant. Sunt autem denuntiandæ hę blasphemię, etsi sub conditione proferantur. Quia sunt veræ blasphemiæ, (Ut *n.* 24. diximus.) Et ita denuntiandas esse tradunt *Rojas de haret.* 2. *p. assertione* 12. *num.* 173. Et citato *Cantera Azevedo lib.* 8. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *num.* 14. Sunt etiam denuntiandæ, etsi non expressè nominentur Deus, vel sancti; ut *pesete tal, reniego de tal*, quando ex conjecturis apertè, & absque ulla dubitatione colligitur blasphemantis animus, intelligentis nomine, *de tal*, Deum, vel sanctos. Juxta dicta *n.* 23. Major autem difficultas est, an quando blasphemia est secreta, ac speratur fore, ut blasphemus fraternè correctus emendetur, sit præmittenda correctio fraterna? *Azor. lib.* 9. *instit. moral. c.* 28. *q.* 8. dicit non præmittendam correctionem fraternam. Quia ea denuntiatio non præcipitur ob criminis emendam, sed ad ejus punitionem, & in pœnam sceleris. At meliùs alii præmittendam tunc correctionem fraternam sentiunt. Quia speciale est in crimine hæresis, ut ob magnum ejus periculum, & difficillimam hæretici correctionem, sit statim nulla correctione præmissa denuntiandum. Quod in blasphemis non contingit. Quare prædicta decreta, & edicta intelliguntur servato ordine Evangelico, nempe, ut si blasphemia sit publica, aut si secreta, desperetur fore, ut correctio prosit, statim denuntietur. Si verò occulta sit, ac spes subsit, ut correctio fraterna prosit, illa præmittatur. Atque ita docent *Metina lib.* 1. *summ. cap.* 14. §. 2. *fol.* 77. *pag.* 1. *Manuel* 1. *tom. summæ, in secunda edit. cap.* 34. *num.* 6. *Lud. Lopez* 1. *p. instruct. c.* 282. *in fine*.

CAPUT XXXIII.

De præcepto spei, & timoris; ac peccatis desperationis, & præsumptionis spei oppositis

SUMMARIUM.

An de spe sit præceptum? n. 1.
Quando obliget? Refertur quadam sententia, n. 2.
Explicantur tempora quibus obligat, n. 3.
An sit præceptum speciale timoris? n. 4.
Quando peccetur per desperationem? n. 5.
An desperatio sit semper conjuncta cum hæresi? n. 6.
Quando peccetur, & qualiter per præsumptionem? n. 7.
An præsumptio sit semper conjuncta cum infidelitate? n. 8.

1 Constat ex fide esse præceptum de spei actu aliquando eliciendo. Ut constat ex *Ps.* 4. *Sperate in Domino*. Et *ad Titum* 2. *Expectantes beatam spem*. Et ex aliis locis, quæ afferunt DD. *num.* 3. allegandi. Et ratione constat. Quippe de omni actu ad vitam æternam obtinendam necessario est præceptum. At hujusmodi est sperare peccatorum veniam, ac gloriam obtinendam à Deo. Ut constat ex *Trid. sess.* 6. *c.* 6. Est igitur in præcepto.

2 Et quidem quantùm ad præceptum negativum, nempe, non desperandi, quod ad spei virtutem pertinet, constat obligare semper, ac pro semper; instar omnium præceptorum negativorum. De præcepto autem affirmativo eliciendi actus spei est difficultas, pro quo tempore obliget. Quidam, quos tacito nomine refert *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 22. *articul.* 1. *dub.* 1. censent habito semel actu spei, posse probabiliter dici id præceptum non ampliùs obligare. At jure optimo id falsum esse censet. Idque constabit ex dicendis *n. sequenti*.

3 Varia igitur tempora assignantur à Doctoribus obligationis hujus præcepti. Primum tempus est, cum primum rationis usum puer assequitur. Quia tunc tenetur se in Deum convertere, omnia in ipsum referendo. Quod absque actu spei præstare nequit. Ita docent *Bannez* 2. 2. *q.* 22. *artic.* 1. *dub.* 2. & *ibi Aragon. dub.* 1. *Petr. de Led.* 2. *tom. summæ, tract.* 2. *c.* 4. *concl.* 3. At verius est, tunc non obligare. Quia *cap.* 35. dicemus ideò verius esse non extare id conversionis præceptum. Et hanc partem sustinet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. Et esto diceremus hoc præceptum tunc obligarè, non obligaret per se & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione alterius. Ut statim in secundo obligationis tempore explicabo. Secundum tempus est, cum obligatio occurrit pœnitentiæ de anteacta vita, ad gratiam Dei obtinendam. Quia cum spes veniæ obtinendæ sit fundamentum pœnitentiæ, hæc absque spei actu consistere nequit. Ita docent *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *institutionum moralium, cap.* 2. *qu.* 7. *Aragon., Bannez, Petrus de Ledesma conclus.* 4. Addunt hi tres idem esse dicendum, quando est præceptum de oratione. Quia id præceptum absque spei actu impleri nequit. Et idem *Azor.* quando obligat præceptum dilectionis Dei super omnia: Quia absque actu spei impleri nequit. Idem dicit *Aragon.* quoties quis tenetur aliquid aliud efficere, quod sine actu spei commodè fieri nequit. At in omnibus his eventibus non obligat præceptum spei per se, & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione præcepti adjuncti pœnitentiæ, aut orationis, charitatis, aut faciendi illam aliam rem. Quare tunc omittens elicere actum spei, non peccaret contra hoc præceptum, nec omissionem actuum spei tenetur fateri; sed solùm peccaret contra illum præceptum adjunctum, quod impletum non est; atque adeo sola ejus transgressio fatenda est. Ita docent *Bannez, & Petr. de Ledesm. ibi*. Atque in simili diximus *hoc* 2. *libro cap.* 1. *num.* 3. Tertium tempus est, semel singulis annis. Ita *Petrus de Ledesma, ibi, conclus.* 6. Sicut idem de præcepto fidei. Ut ex ipso retuli *d. c.* 1. *num.* 3. ubi & id reprobavi. Quare hoc non placet. Quartum tempus est, quando quis primò novit, sive per se, sive ab alio monitus, utilitatem, ac necessitatem spei ad piè vivendum. Sic *Valentia ibidem* dicens hoc esse probabile. At non placet hoc tempus. Quia caret solido fundamento. Ultimum tempus est, quando aliquis gravi desperationis tentatione vexatus, in succumbendi periculo est, nisi actu spei contrario animum confirmet. Tunc enim per se hoc præceptum obligat. Quia eodem spei præcepto tenetur homo sperare, & non desperare. Si ergo tunc elicere actum spei est per se medium ad non desperandum, obligabit præceptum spei ad illum eliciendum. Ita *Val. Bannez, Aragon. Petr. de Ledesm.* proximè allegati. Addit autem optimè *Valentia* aliquando quoque esse necessarium, & sub præcepto, actu spei munire animum ad vincendas tentationes in aliis materiis; quando alias est periculum succumbendi. At tunc non obligabit præceptum spei per se, & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione præcepti superandæ illius tentationis. Quare non elicere tunc actum spei, minimè erit distinctum peccatum necessariò fatendum ab eo, quod committitur succumbendo tentationi, aut succumbendi periculo se exponendo. Quia actus spei non requirebatur tunc per se, sed ratione præcepti vitandi alterius peccati, ad quod tentatio impellebat.

4 Rursus de timore filiali, ac bono servili constat, quandoque esse præceptum. Quod docet *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 22. *art.* 2. de filiali, *Deuter.* 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum*, &c. De servili, *Matth.* 10. & *Luc.* 12. *Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam*. Est autem timor filialis (ut docent *idem D. Thom.* 2. 2. *qu.* 19. *art.* 2.) quo quis timet offendere Deum, & ab eo per peccatum separari. Dicitur autem filialis, eò quòd ex Dei amore nascatur; sicut timor, quo filii vereri solent, ne parentes suos offendant, consurgit ex filiali amore, quo illos complectuntur. Timor autem servilis est, quo quis timet pœnas à Deo peccatoribus constitutas, & ideò, ut eas effugiat, inducitur ad peccata vitanda. Dicitur autem servilis, quia non propriè nascitur ex amore Dei, sed ex sui amore, quo quispiam, ut propriæ incolumitati pœnas evadens consulat, peccata vitat; instar servorum, qui non amore Domini ducti, sed pœnæ timore, ipsi obsequuntur. At difficultas est, an præcepta de his timoribus sint specialia: ita ut aliquando ex hujusmodi timorum defectu contingat committi speciale peccatum? An verò sint ipsamet charitatis, & aliarum virtutum præcepta, quæ exigunt hos timores, quatenus per illos ab eorum transgressione homo retrahitur? *Bannez* 2. 2. *qu.* 22. *ad* 2. *in solutione ad* 1. & 2. censet esse speciale præceptum; obligareque servilem, quando necessitas vitandi peccati occurrit, nec ducitur quis ad id vitandum, nisi pœnæ timore; filialem autem, quando quis est in periculo peccandi, & eo timore ad cavenda peccata ducitur. At concludit *in solutione ad* 4. esse probabile non esse specialia præcepta. At multò verius est, non esse aliquod speciale præceptum horum timorum, sed idemmet aliarum virtutum; atque ita admittentem quodcumque crimen, à quo timorum horum actu retrahi posset, sufficienter fateri explicando solùm id crimen admissum, aut si non admisit, periculum illius admittendi, cui se exposuit. Quod ex praxi hominum timoratæ conscientiæ constat, qui numquam de timorum horum defectu in peccatis admissis se accusant; nec confessarii de eo interrogant. Et ratio est, quia defectus ille timoris est conditio generalis reperta in omnibus peccatis admissis: ac proinde non constituit specialem aliquam culpam. Sicut nec defectus considerationis rerum divinarum, & aliorum mediorum, quæ à peccando averterent, ac à peccante negliguntur, minimè culpam specialem inducit. Quòd sit generalis omnium peccatorum conditio. Adde omissionem actus spei

spei requisiti ad non succumbendum tentationibus contra alias virtutes occurrentibus, non inducere specialem culpam. (Ut *num. prec.* diximus.) Quia non exigitur propter se, sed ob aliarum virtutum præcepta. Idem ergo de his timoribus dicendum est. Et ita docet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *qu.* 4. *puncto* 2. *in fine*.

5 Peccatur autem contra spem, aut non eliciendo actum spei, quando obligat. Juxta *dicta n.* 3. Aut per defectum, excessumve. Per defectum peccatur desperando; nimirum, dum quis disperat fore, ut ad meliorem frugem se recipiat, aut peccatorum veniam, gloriamve comparet. Quod secundùm omnes est gravissimum peccatum mortale, nec in eo datur parvitas materiæ, sed ratione solius defectus plenæ deliberationis excusari potest à mortali. Quia motus desperationis conformis est judicio falso de Deo, quo judicatur per ejus misericordiam non posse aliquem obtinere salutem æternam, atque ideò in quavis materia misericordiam divinam graviter lædit.

6 Potest autem hic desperationis actus conjunctus esse cum hæresi, quando desperans actu habet hoc judicium illi assentiens, *Deus non potest mihi parcere*; aut *non parcet, si me disposuero, ut docet*; aut *consequi gratiam, & gloriam est mihi impossibile*. Quia hæc judicia contra fidem sunt. Quare erit tunc duplex malitia specie distincta, ac confitenda; altera hæresis, altera verò desperationis. Potest etiam sine hæresi contingere. Quod benè explicat ex mente *Div. Thomæ Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 3. *puncto* 1. quia ad eliciendum desperationis actum, non est necesse actu habere illud falsum judicium declaratum. Sed satis est, ut per judicium practicum quispiam æstimet sibi tunc desperandum, sive ut jucundum, & aptum præsenti dispositioni, sive ut utile ad alios fines pravos; ut ad liberiùs peccandum. Sicut fornicans non judicat sibi tunc fornicationem licere. Quod esse hæreticum. Sed tantùm practicè illam amplectitur tamquam jucundam, aut ad alios fines utilem. Vel secundò potest hoc explicari cum *Toledo lib.* 4. *summ. cap.* 7. *num.* 9. Quia non est opus hoc judicio in desperante, *Deus mihi non potest parcere*, aut *non parcet si me debitè disposuero*. Sed satis est hoc judicium, *numquam me disponam, numquam benè, numquam mihi parcet Deus*. Quæ judicia cum de solo facto sint, non sunt hæretica.

7 Peccatur quoque per excessum contra spem, admittendo præsumptionis vitium. Præsumptio autem contraria spei in eo consistit, cum quis aliquid tamquam possibile de Deo sperat, quod secundùm ejus ordinariam legem non est possibile: ut remissionem peccatorum, & gloriam absque meritis, vel ac solis propriis viribus adipiscenda, vel in creaturis spem collocat tamquam in præsidio ad salutem comparandam sufficiente. Ut optimè *D. Thom.* & omnes 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 1. Nec enim in creaturis spem constituere interdicitur, tamquam in iis, quæ unà cum Dei adjutorio juvant, & promovent ad vitam æternam adipiscendam. Ut benè docet *Azor. to.* 1. *lib.* 9. *moral. institut. c.* 2. *q.* 7. Nec tamen ad fugiendum hoc crimen est opus expressa divini adjutorii mentione, quoties beatitudo, aut gratia speratur, sed satis est virtute, & interpretativè adsit ea intentio. Ut communiter est in Christianis. Ut benè docent *Bannez ea qu.* 21. *ar.* 2. *dubio* 3. & *ibi Aragon.* Estque semper præsumptio hæc mortalis, nec parvitas materiæ excusare potest, sed solus plenæ deliberationis defectus. Ut benè docent *Bannez ibi dub.* 2. & *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *q.* 3. *puncto* 2. Quòd hic præsumptionis motus conformis sit falso judicio de Deo, quo judicatur posse ab eo beatitudinem comparari, absque mediis à divina providentia & justitia statutis. Atque ita gravissimè utrumque Dei attributum lædit. Insuper peccat præsumptionis crimine, qui spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in senectutem, aut finem vitæ differt. Sic *Metina lib.* 1. *summæ cap.* 14. §. 2. *fol.* 79. *pag.* 2. *Bannez* 2. 2. *q.* 21. *ar.* 2. *in fine, Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *instit. moral. c.* 2. *q.* 7. Et dicit *Metina* esse mortale. At meliùs *Azor.* ait non semper esse mortale, nisi tempus occurrat, quo præceptum pœnitentiæ obliget. Quare qui pœnitentiam spe veniæ differt, solùm peccat contra pœnitentiæ præceptum, si animum habeat eam differendi ultra tempus, quo id obligat. Quare non existimo hoc ad peccatum præsumptionis propriè pertinere; nec esse propriè contra spem. Cum non speretur beatitudo absque pœnitentia, & Dei adjutorio.

8 Tandem potest præsumptio hæc cum hæresi, & absque illa accidere. Sicut *num.* 6. de desperatione diximus. Est quidem cum hæresi, & sic duplex culpa, quando ex error intellectus, quo crederet beatitudinem absque pœnitentia, & meritis obtinendam; vel solis propriis operibus absque Dei gratia. At ad præsumptionis peccatum non est necessarium id judicium actu existere, sed sufficit, ut ita tendat quis in salutem æternam voluntate sua, ac si posset absque operibus obtineri; aut solis illis absque Dei gratia. Et ita docet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *q.* 3. *puncto* 2. Quare tunc erit absque hæresi.

CAPUT XXXIV.

De peccato tentationis Dei.

SUMMARIUM.

Tentatio Dei quid, & quotuplex, & qua regula dignoscatur? num. 1.
Tentare interpretativè, quotupliciter contingat? n. 2.
Tentare Deum contingit respectu tentantis, & respectu aliorum, num. 3.
Cui virtuti opponatur? n. 4.
Quale peccatum sit? n. 5.
An orare absque debita præparatione sit tentare Deum? n. 6.
Quid de nitente sola oratione impetrare bona temporalia? n. 7.
Quid de explorante divinam voluntatem absque justa causa? num. 8.
An liceat petere à Deo signum suæ voluntatis, vel cum adest revelatio, ad sciendum, an sit Dei, an dæmonis? n. 9.
Quid, quando dubitatur, an promissio sit absoluta, an cum conditione; & an pro se ipso liceat aliquando petere signum veritatis, potentiæ, aut scientiæ divinæ? eodem n. 9.
An tentet Deum petens ab ipso miraculum pro manifestanda fidei veritate? n. 10.
An tentatio expressa, & interpretativa sint, distinctæ species? num. 11.
An purgatio à crimine ferro candenti, aut aqua ferventi facta, sit licita? n. 12.
An liceat hac purgatio per Eucharistiæ sumptionem? n. 13.
An liceat medicinas corporales etiam martyrii tempore nolle? num. 14.
An tentet Deum martyrio se absque necessitate offerens: vel peccet, si se offerat, eò quòd vitam exosam habeat? n. 15.
An tentet Deum prædicans absque prævia meditatione? n. 16.

1 Cum tentatio Dei opponatur religioni, quatenus ad cultum debitum Deo exhibendum inclinat (ut *n.* 4. dicemus) & quodammodo etiam spei; ejus tractatus pertinet ad primum Decalogi præceptum jubens cultum Dei debitum; & post tractatum de virtute spei. Definitur autem sic. Tentatio Dei est irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, ut veritate, potentia, scientia, &c. sumitur experimentum verbis, vel factis, an Deus perfectionem illam habeat, nec ne. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. ab omnibus receptus. Dicitur autem *irreligiositas*, quia vitium hoc religioni opponitur. (Ut *nu.* 4. explicabimus.) Dicitur, *ex dubitatione*, &c. quia semper in tentatione Dei adest aliqua hujusmodi dubitatio. Quod ait *D. Thom. eo articul.* 1. (& ex eo alii desumpsere) contingere dupliciter. Primò, quando quis formaliter, & ex intentione tentat Deum, nimirum, quando expresè dubitando de aliqua Dei perfectione, aliquid facit animo illius experiendæ. Secundo, interpretativè, & implicitè, nempe, quando etsi quis expresè non dubitet de divina perfectione, nec experimentum de Deo sumere intendat; id tamen petit, vel agit, quod suapte natura ad nil aliud pertinere, & referri posse videtur, quàm ad divinam perfectionem experiendam. Tunc autem declarat *D. Thomas* hunc interpretativum tentandi Dei modum contingere, cum neglectis modis à divina providentia constitutis, aliquid agitur expectato effectu à solo Deo, nulla necessitate, aut utilitate justa ad id cogente. Quando verò aliqua necessitate, aut utilitate ductus committit se quispiam divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, id non est tentare Deum, sed licitum. Juxta id 2. *Paralip.* 20. *Cum ignoramus, quid agere deliceamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*. Idque declarat *ibi* appositissimo exemplo. Sicut quando quis absque peculiari causa equum agitat, interpretamur illam equi agitationem ad nil aliud pertinere, quàm ad ejus velocitatem experiendam: secùs quando adest causa peculiaris, ut fugiendi periculi. Unde ex hac doctrina *D. Thomæ* optimè colligit *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 14. *puncto* 1. *vers. Declarat*, ex fine movente deducendam esse regulam ad judicandum, an Deus tentetur, nec ne: spectandus enim est finis, ob quem effectus à solo Deo speratur; & si justus sit, non est Dei tentatio; si autem justa causa movens desit, erit Dei tentatio, saltem interpretativa.

2 Hæc autem interpretativa Dei tentatio contingit dupliciter. Priori modo, cum quis media naturalia à Deo ordinata prætermittit, sperans à solo Deo effectum. Posteriori modo, cum quis sponte periculum quærit, à quo nullatenus, aut vix liberari potest, nisi à solo Deo. Sicut si quis relicta scala vellet è turri per aera descendere, quamvis non animo Dei tentandi id efficeret. Ita *Toledo lib.* 4. *summæ cap.* 19. *n.* 6. *in fine*. Ut tamen sit tentatio Dei, etiam interpretativa, oportet haberi operantem respectum ad Deum, expectato medio extraordinario ab ipso; & tunc opponitur religioni, est enim Dei irreverentia expectare prudenter id auxilium. Ut docet optimè *Suar. tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *l.* 1. *cap.* 3. *numero* 4. & 5.

3 Insuper potest homo Deum tentare, sive formaliter, sive interpretativè, vel ut ipse experimentum Dei capiat, vel ut aliis etiam manifestum faciat. Quippe expertus sapientiam alicujus, & de ea nil dubitans, diceretur verè ipsum ten-